SAMMELHANDSCHRIFT MIT THEOLOGISCHEN TEXTEN
um 1455/1460 (Wasserzeichenbefund) Seite 222r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36925
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



Jhus prostrauit omnes hostes suos cum vno verbo

N pcedenti capitulo audiuimus quomodo Eucharistiam instituit xpus
Contra audiamus quomodo hostes suos prostrauit
Cumque Judas cum aliis percepisset communionem
Abijt vt faceret hostium xpi congregacionem
O quanta erat Jude malignitas et dementia
O quanta erat xpi benignitas et clementia
Xpus enim sacramento corporis et sanguinis sui cibauit
Et ipse de traditione illius in corde suo tractauit
Xpus sciens omnia noluit ipsum prodere nec sacramentum negare
Inquo voluit formam sacerdotibus communicandi dare
Sacerdos sciens aliquem cum mortali ad communionem accedere
Non debet sibi negare ne videatur eum prodere
Abijt Judas ut inimicos xpi congregaret
Xpus autem iuit ad locum quem sciebat Judas ut eum illuc expectaret
Querentes eum in tenebris cum lucernis et facibus
Venerunt ergo armati cum gladijs et fustibus
Jhus autem absque armis in occursum eorum iuit
Et quem querent cum omni mansuetudine quesiuit
Illi autem tamquam gigantes contra eum steterunt
Vt Jhm nazarenum querent responderunt
Jhus autem mitissimus et dulcissimus dabat responsum
Dicens humili voce et benigno animo ego sum
Quo audito omnes retrorsum abierunt
Et tamquam mortui coram eo in terram corruerunt
O dementissimi Judei quid prodest vobis tanta multitudo
Qui velud prostrati iacetis mitissimo verbo dei vno